


R. N. 417, 25

II n
650



DE
AVRICVLARI CONFESSIOE
CAROLI M.

DISQVISITIO HISTORICO - CRITICA
FRIDERICI IMMANVELIS SCHVVARZII



TORGAVIAE
LITERIS RÜDELIANIS



III
AVTICIANI - CONFESSIOE

CAROLI M

DEO PATRO HISTORICO - CRITICA
LUDWIG FIMMELT'S SCHULBACH



FORNARI

1777





§. I.
Prodierunt haud ita pridem *Analecta monumentorum omnis
aeui Vindobonensia* ADAMI FRANCISCI KOLLARII,
doctissimi viri opus splendidissimum, haud exiguo
rei literariae commodo. Illud inspicienti mihi, et antiquio-
ra inprimis monumenta diligentius consideranti obrulit se
antiqua illa veteris Alamannorum ecclesiae confessionis for-
mula, quae extat in antiquo codice MSto bibliothecae au-
gustae Vindobonensis, et dudum tam a PETRO LAMBECCIO,
quam DIEDERICO VON STADE, iuris publici facta est. In-
feruit eam KOLLARIUS celeberrimus operi suo vna cum ver-
sione interlineari LAMBECCII dialecto nostrâ elaborata, sibi-
que persuasit vir doctissimus, Augustissimum imperatorem
Carolus M. hac ipsa formula confessionis usum esse, ideo-
que a se denuo edi confessionem auricularem Caroli M. Ut
eo dilucidius constet, doctissimum KOLLARIUM vere in ea

opinionem verari, ipsius verba subiiciam 1): *Extat praeter ea in eodem peruetusto codice MSro formula sacrae confessionis, prisca illa constans germanica lingua, cuius grammaticam, uti Eginhardus testatur, ipse Imperator Carolus Magnus componere orsus est. Minime autem dubium mihi videtur, quin haec ipsa confessione, mutatis tamen, quae respectu propriae personae, propriaeque conscientiae mutanda fuerunt, idem ille Imperator usus sit, ideoque cum hoc nomine, tum quoque propter linguam germanicam istius aevi dignissimam eam censeo, ut integre hic inferatur.* Clarissimo autem KOLLARIO videri hac formula confessionem auricularem contineri, verba indicis: *Confessionis auricularis formula Theotisca col. 445. B.* quae lectorem ad eam ablegant, perspicue testantur. Itaque constat ipsius KOLLARII verbis, ipsi persuasum esse, eam, quam edidit, formulam fuisse auricularis confessionis Caroli M. Sed facilius dici, quam probari posse existimo, illam, quae exhibetur in *Analectis*, formulam fuisse, qua usus sit in confessione auriculari Carolus M. Disquiram igitur, probabilene sit, in hoc antiquitatis germanicae monumento superesse auricularis Caroli M. confessionis exemplar?

§. II. Huius disquisitionis ratio cum ita instituenda sit, ut ex ipsa confessionis formula iudicandum sit potissimum, num ea conveniat cum rationibus Caroli, ut hoc loco exhibeatur, necesse est. Exhibebo vero eam, cum versione LAMBECII, quae formulas textus et voces nonnullas auctori suo non intellectas vacuas relinquit. Formulae confessionis, antiqua lingua Theotisca expressa, haec est:

1) p. 445.

„Ich werde Gott dem Allmächtigen bichrig, und unser
 „Ih uuirdu Gode almahtdigen bigihdic unde
 „Frowen der heiligen Mariae, und dem heil. Michaeli, und dem
 „uroun fac. Mariun, unde fce. Michaeli, unde
 „heiligen Petro, und allen Gottesheiligen; und dir, seinem
 „fce. Petre, unde allen Godes Heilegon, unde dir, sinemo
 „Borten, diweil ich sündig bin ia in Gedanken, ia in Thaten,
 „Boden, uuande ih sündic bin ioh in gidahtdin, io in dadin,
 „ia in Worten, ia in Werken, ia in buren, ia in Stehlen,
 „ioh in uuordon, ioh in uerkon, ioh in huare, ioh in stalu,
 „ia in Besprechen, ia in Neid, ia in Balgen, ia in Uiber-
 „ioh in bisprachidu, ioh in nide, ioh in abulge, ioh in ubara-
 „essen, ia in Uibertrinken, ia in Fluchen, ia in Schweren,
 „zidu, ioh in ubardrunchidu, ioh in fluachenne, ioh in fuer-
 „deren Sünden alle, ia andrer mancher, so bichte
 „hine, dero Sundono allero, ioh anderero manachero, so gi
 „ich es dem Allmächtigen Gott und allen seinen
 „ih es domo almahtdigen Gode, unde allen sinen
 „Heiligen, und dir, seinem Borten. Ich bichte Gott
 „Heilegon, unde dir, sinemo Boden. Ih gihu Gode
 „dem Allmächtigen, diweil ich sündig bin, daz ich den heil.
 „almahtdihen, uuanda ih sündic bin, daz ih heilegan

„Sonntag und andere heilige Tage so nicht gefeiert,
 „Sununtag unde andere heilige daga so no giurida,
 „noch so gebret, wie sie Gott hat geboten, und
 „noh so geroda, so se God habet gibodan, unde
 „meine Schuld war. Ich bichte Gott dem Allmächtigen, daz
 „min sold uuari. Ih gihu Gode almahtdigen, daz
 „ich meine Kirchen so nicht besucht durch
 „ih mina Chirichun so ne suahda duruch mammendi
 „meines Leichnam noch meine Vesper noch meine Metten
 „mines lichamen, noh mine vespera, noh mine merdina,
 „noch meine Messe nicht geböret, wie sie Gott hat geboten,
 „noh mina Messa ni gilofeda, so se God habet gebodan,
 „und meine Schuld war. Ich bichte Gott dem Allmächtigen,
 „unde min Sould uuari. Ih gihu Gode almahtdigen,
 „daß ich in Kirchen Unrechtes that, und unrechte Reden
 „daz ih in Chirichun unrechtes dahda, unde unrehda reda
 „thete, mit anderm Manne, daz ich daz Gotteslob nicht
 „deda, mit anderemo manne, daz ih daz Godes lop ni
 „wollte hoeren, noch andern nicht lies. Ich bichte Gott
 „uuolda gilosen, noh andern ni liaz. Ih gihu Gode
 „dem Allmächtigen, daz ich daz heilige
 „almahtdigen, daz ih daz heilige uuiz zud uehoda

mit

„mit unreinem leichnam, daz ich so gereinicht nicht war,
 „mit unreinemo lichamen, daz ih so gireinit ni uuas,
 „so es GOTT hat geboten, und meine Schuld war. Ich
 „so se God habet gibodan, unde min sculd uuari. Ih
 „bichte GOTT, dem Allmächtigen, daz ich Hungrige nicht
 „gihu Gode almahtdigen, daz ih hungarege ni
 „gespeiset, Durstige nicht getränket, Sieche nicht besuchet,
 „azda, dursdage ni gidranca, siehhero ni uuifoda,
 „wie es GOTT hat geboten, und meine Schuld war. Ich
 „so se Gode habet gibodan, unde min sculd uuari. Ih
 „bichte GOTT dem Allmächtigen, daz ich dürstige Mann
 „gihu Gode almahtdigen, daz ih durfdige man
 „zu Haus nicht geladet, noch denen Speise noch Trank
 „ci Hus ni giladoda, noh denin az noh dranc
 „nicht gab, noch noch wie es GOTT hat ge-
 „ni gap, noh flezzi, noh betdi, so se God habet gi-
 „boten, und meine Schuld war. Ich bichte GOTT, daz
 „bodan, unde min sculd uuari. Ih gihu Gode, daz
 „ich meinen Vater und meine Mutter und andre Nächsten
 „ih minan Uader unde mina Muader unde andre nahiston
 „meine so nicht liebre, noch so nicht ehrete, wie es GOTT
 „mine so ne minnoda, no so ne eroda, so se God
 bat

„hat geboten, und meine Schuld war. Ich bichte daz ich
 „habet gibodan, unde min sculd uuari. Ih gihu daz ih
 „meine *so nicht*
 „mine funt diuillola so ne lerdä so fe ih indar ant-
 „ *Ich bichte Gott, daz ich der Mann war,*
 „heizo uuard. Ih gihu Gode, daz ih thie man uuar,
 „*der ich werden nicht sollte. Ich bichte Gott, daz ich*
 „thie ih uuerran ni folda. Ih gihu Gode, daz ih
 „*meinen Zebnden so nicht vergalt, noch meines Herren*
 „minan decimon so ne vergalt, noh minas Herren
 „*Sache so nicht hielt, wie es Gott hat geboten, und meine*
 „sacha so ne hielt, so fe God habet gibodan, unde min
 „*Schuld war. Alles des ich nun gemeinet habe, so so*
 „sculd uuari. Alles des ih nu gimeinet haben, so so
 „*ich wissend heutigen Tag, so so es mir bey Trunken-*
 „ih uuizzant heidigidag, so so iz mir bi druncan-
 „*beit gebürte, so wie mir es anders gebürte,*
 „heidi giburidi, so so miz iz anders giburidi, so uuas
 „so sih nit thefemo.

Et haec illa est auricularis confessionis formula, quam
 Carolo M. asserere doctissimus KOLLARIUS minime dubi-
 tavit.

§. III. Dignum profecto antiquitatis alamannicae monumentum, quod tam ob historiam dogmatum et morum eius aetatis, quam ob antiquas linguae nostrae origines in magno habeatur pretio. Primum corrupta Pontificiorum studio dogmata fidei, prout illa aetate publice proposita sunt, haud pauca exhibet. Sanctae enim Mariae, sancto Michaeli, sancto Petro, omnibus sanctis tum confitendum, Deo trinuni, Iesu Christo, Spiritui S. haud confitendum fuisse, manifesto docet. Quis non doleat, in confessione peccatorum, quorum remissio per eam quaeritur, de poenitentia, de fide in Christum, de Christo, de Christi merito, iustitia et satisfactione pro peccatis hominum, de precibus pro condonandis propter Christum criminibus, altum esse silentium? Quis est, quin intelligat, quanto pro dolor! in pretio iam tum haberi coeperit iustu peruersorum doctorum opus operatum vulgo et satis barbare sic dictum? Iubetur enim peccator confessionem edere neglecti operis operati, neglecti quippe conuentus matutini et vespertini, cultusque illius missatici, partim idololatrici, partim nemini plebis imperitae intellecti, quem vero, quod probe obseruandum esse duco, a Deo mandatum, et ad officia hominis Christiani referendum esse auctoritate cleri Pontificii inducta misella confitetur et credit, nescia, quid credat, plebecula. Manifestum denique est, tyrannidem cleri, quae praecipit enumerationem singulorum peccatorum, iam tum magnopere inualuisse. Formula enim, quam manibus versamus, vt confessionem tantum non omnium peccatorum singulatim enumerandorum edat, a peccatore exigit. Bellum profecto cleri romani artificium percontandi arcana hominum, vt lucrum inde opimum quaerere possit! En papatum sibi semper simillimum!

§. IV. Post historiam dogmatum quorundam istius aetatis legitur in ea delineatio morum eius saeculi nostro non absimilis. Quinam vero sunt mores illius saeculi, quos confitetur sua formula germanus? Adulteria, furta, voracitas, ebrietas, invidia, rixa, profana diei dominicae violatio, turbatio sacrorum turpi ista confabulandi et garriendi in templis consuetudine, abominandae innocuorum obrectationes, magna in fungendo officio negligentia. Egregii scilicet christiani hominis mores! Sed vereor, ne veterum illorum germanorum profapiae maximae parti, si candide mores suos confiteri vellet, eadem maiorum suorum formula repetenda sit. Quo magis vero tam perversi ac pravi mores Christianis, qua meliorum sunt partium, displicent, eo magis laudandum est maiorum nostrorum institutum, bonam partem confessionis suae edendi secundum normam scripturae sacrae. Directa enim est ad verba decalogi, secundi nimirum praecepti, tertii, quarti, quinti, sexti, septimi, octavi, et ad verba sospitatoris Matth. XXV, 35. 36. Praeterea laudandum est in hac confessionis theotifcae formula, quod et pravas cogitationes pravosque affectus arguit, quod dilectionem aliorum hominum neglectam inter peccata numerat, et quod denique nihil de ficta illa Pontificiorum praeter et contra scripturam satisfactione operis, e quibus omnibus non sine magna animi voluptate intelligimus, mediis in tenebris illorum temporum non omnem evanuisse veritatis salutaris lucem, nec omnes pontificiorum errores omnibus probari potuisse. Pari modo laetamur, maiores nostros magnitudinem peccati originis perpexisse. Confitentur enim crimen pravorum affectuum, invidiae nimirum, iracundiae, odii.

§. V. Pauca iam de translatione huius formulae Lambeciana. Quanquam miror, in translatione dialecto nostra elaborata, quaedam vocabula occurrere, quae ab eius puritate abhorrent, *bichrig* nimirum, *bichte* pro *beichte*, *daz* pro *daß*, *gereinet*, pro *gereinigt*; iis tamen diutius haud inhaerebo, sed partim verum vocabulorum theotiscorum significatum, a LAMBECIO expressum, auctoritate veterum probabo, partim, quae acu non tetigit, ex iisdem emendabo, partim denique ea, quae sine translatione dimisit, quantum fieri poterit, transferam. Quod attinet ad primum, prouocabo potissimum ad auctoritatem KERONIS Monachi S. Galli in *interpretatione vocabulorum barbaricorum*, id est, Alamannicorum, in *regulam S. Benedicti abbatis* apud GOLDASTVM I). Hic interpretatur antiqua germanorum vocabula, quae etiam in hac occurrunt formula, hoc modo: *deomuatlilba pigith* humilis confessio; *sunta culpa*; *suntrigo* peccator; *poro* Apostolus; *buaron* adulterare; *ubarazalii* crapula; *ubartrunbanii* ebrietas, *fwerran* iurare; *gibit* confitebitur; *eeren* honorare; *kiporan* imperatum; *chirichun* oratorium; *suabchan* quaerere; *suabbi* inquirere; *libchanum* corpus; *blofe* ausculta; *breinan* mundum, *durust* opus; *muater* mater; *nabistin* proximo; *minnoon* amare; *sculdi* noxa; *sculi* debet; reliqua. Eadem auctoritate, qua in versione probavi quaedam, haud pauca emendari possunt ac debent. Particula theotisca *job*, *job* a LAMBECIO transfertur *ia*, *ia*, sed KERO interpretatur, *et*, *et*, *tam*, *quam*, quem significatum si adhibeas, per totam formulam omnia rectius cohaerent, e. g. confiteor, me peccasse tam cogitationibus, quam factis, tam verbis, quam operibus, etc. LAMBECIVS transfert *abulge* per *balgen*, satis incommode et plebeie, quod debuisset transferre *iracundia*. KERO enim *abulkii* trans-

B 2

fert

1) Rerum Alamann. Scriptor. Tom. II. p. 69. sequ.

fert *iracondiae*, et *aabulkii iram* 2). Hac ratione versio emendata textui melius respondet, nunc enim verba sic fluunt: *confiteor me peccasse aliis inuidendo, aliis irascendo*. Vocabulo *managero* LAMBECIVS significatum tribuit *mancher*, ne sic quidem male, sed melius verti debuisset *complurium*, scilicet peccatorum. Apud KERONEM enim *managero multa, managerum multorum, managen pluribus, et in managii in multitudine*, significat. Praepositionem *durub* vertit recte quidem *per*; sed denotat quoque, KERONEM si audias, *propter*, quae significatio huius loci inprimis est. *Unrebda reda* LAMBECIVS minus accurate exprimit *unrechbre reden*, *unrebda* enim vetere idiomate germanico est dehonestare, violare, *entebren*. Confitetur igitur peccator, se in templo sermone inani cum aliis instituto aliorum famam laessisse. Idem obseruandum est de versione vocis *bispracbidu*, quae reddita est *bisprechen*, sed reddenda est *obrectatio* 3). De iis denique dispiciendum est vocabulis, quae LAMBECIVS et KOLLARIUS sine translatione dimiserunt. *Mammendi*, quod vacuum reliquerunt, *blandimentum* denotat 4).
Inde

2) Vide notas ad Rhythmum de S. Annone p. 3. apud SCHILTERVM thesaur. Antiquit. Teuton. Tom. I. *Abalgi ira, Belgon irascii, bilgislubti, irascere, farbelgeda exacerbauit, Irbelgedon exacerbarunt*. NOTKERVS l. c. apud SCHILTERVM Psalmi XXXVIII comma 2. sic vertit: *Nio trubtem in dinero abolgi ne irretsest du mih. Regula S. Benedicti Cap. IV, p. 23. apud SHILTERVM l. c. aabulkii nalles durubtuan, der abulkii ciit nalles haltun, iram non perscere, iracundiae tempus non seruare.*

3) Regula S. Benedicti l. c. *murmulontan, pisprehbon, non murmurosum, non detractorem.*

4) Vide praefationem I. G. WACHTERI ad Glossarium german. §. XXXV.

Inde sensus confessionis facile eruitur, peccatorem templa non frequentasse, vt corpori gratum faceret. *Wizzud* seu *Wizzod* denotat *legem*, vnde intelligimus, confessoris mentem esse, se sanctam legem violasse impuro corpore. Vaeua sunt vocabula *flezzi* et *betdi*. Sed *flezzi* denotat *amictum* 5), et *betdi* *hospitium* seu *locum mansionis* 6). Confessionis sensus est, peccatorem inopi denegasse et amictum et hospitium, contra praeceptum saluatoris Matth. XXV, 35. 36. cuius verbis, vti attendenti statim apparet, totum hoc confessionis segmentum conceptum est. *Funt*, *diuillola*, *lerda*, translatione carent. *Funt* maioribus nostris est *inimicus*, *diuillola*, probabiliter aduerbium est, et denotat *fraudenter*, a *diuf*, *fraudentus*, *fur*; *ler* vero significat instruere. *Antbeizo* praeterit LAMBECIVS, quod idiomate maiorum nostrorum respondet verbis, *vouere*, *spondere*, *polliceri* 7) Quis est, quin intelligat, confessorem his verbis affirmare, se inimicum suum de aliqua re quaerentem ita non instruxisse, quemadmodum pollicitus fuerit. Postremo affirmat confessor, se haec omnia eo ipso die scientem, sui que sibi confcium confiteri, neque ebrium, quod confessorem dedeceret, eloqui.

§. VI. Quibus perspectis translationem confessionis plenioram hanc dabimus:

„Confiteor Deo omnipotenti, nostraeque virgini diuae
 „Mariae, sancto Michaeli ac diuo Petro, nec non omnibus
 B 3 , Dei

5) WACHTERVS l. c. p. 1790. conuenit cum Angl. *fleece vel-
 lus*, et *to fleece one*, alicui vestes detrahere, aliquem spoliare.

6) WACHTERVS l. c. p. 134.

7) Vide HALTAUSII *Glossarium* p. 46. NOTKERVS Psalm.
 CXV, 18. *Mina antbeizza antvourto ih in des Gottes Hauses
 bouen, vota mea reddam in atrii domus Domini.*

„Dei sanctis, tibi que eius Apostolo. Siquidem ego pec-
 „caui tam consilio, quam re ipsa, tam verbis, quam operi-
 „bus, adulterando, furando, calumniando, inuidendo, ira-
 „scendo, intemperantius comedendo bibendoque, execran-
 „do iurandoue, aliaque multa id genus peccata committen-
 „do, confiteor Deo omnipotenti, omnibus eius sanctis, ti-
 „bique eius Apostolo. Confiteor Deo omnipotenti, me pec-
 „casse negligentia, nec diem dominicum, nec reliquos dies
 „festos, solemnes habuisse, neque eos ex praecepto diuino
 „et debito meo obseruasse. Confiteor Deo omnipotenti, me
 „templum non frequentasse, vt gratum facerem corpori
 „meo, neque sacris vespertinis neque matutinis interfuisse,
 „neque missam audiuisse secundum praeceptum diuinum, of-
 „ficiique mei religionem. Confiteor me in templo aliena
 „tractasse, alios verbis contumeliosis, quae cum aliis mi-
 „scui, laessisse, me ipsum laudes diuinas audire noluisse, a-
 „liosque quo minus audirent, impediuisse. Confiteor Deo
 „omnipotenti, me sanctam legem violasse impuro corpore,
 „nec me ita purgatum esse, vti Deus voluit, et ego debui.
 „Confiteor Deo omnipotenti, me esurientibus cibum, siti-
 „entibus potum haud dedisse, neque aegrotos inuississe, quae
 „diuini praecepti mens, officii que mei pars fuit. Confiteor
 „Deo omnipotenti, me egenos ad me non inuitasse, iisque ci-
 „bum et potum haud dedisse, et eos neque amictu texisse,
 „neque hospitio excepisse, vti Deus imperauit, mihi que fa-
 „ciendum fuit. Confiteor Deo, me nec patrem meum,
 „nec matrem meam, aliosue proxima cognatione mihi iun-
 „ctos sic dilexisse atque coluisse, vti legis diuinae officii que
 „mei ratio postulauit. Confiteor me inimicum meum ex
 „me quaerentem fraudulenter ita non instruxisse, vt pollici-
 „tus eram. Confiteor Deo, me illum non fuisse, qui esse de-
 „bui.

„bui. Confiteor Deo, me Decimas ita non soluisse, neque
 „Domini mei res ita curasse, prout Deo et mihi debui. Et
 „haec animi mei mens est, cuius interpretes hodie ego mihi
 „consciis mei sum, neque ebrius dixi, id quod me dede-
 „ceret, et absit!

§. VII. Disquiramus nunc, vtrum probabile sit, eam, quam exhibuimus, confessionem, ipsius Caroli M. fuisse? Sed hoc idem est, quod negamus, rationibus quidem ducti haud spernendis. Prima est; eam, quam in medium protulit doctissimus KOLLARIUS, opinionem, certo et perspicuo destitui fundamento. Ita enim vir celeberrimus colligere videtur, quia haec confessionis formula prisca illa constat germanica lingua, cuius grammaticam, teste Eginhardo ipse imperator Carolus M. componere orsus est, ideo probabile saltem, ne dicam, vti ipse scribit, minime dubium videri, hanc ipsam confessionem esse eam, qua vsus sit Carolus M. Sed quis est, quin intelligat, id inde effici non posse? Quanquam enim largimur, scriptam esse dialecto germanica, quae aetate Caroli M. in vsu fuit, et quanquam haud inficias imus, Carolum M. gramatices huius dialecti scribendae periculum fecisse, haec omnia tamen nobis haud persuadent, nec persuadere possunt, eam a Carolo M. adhiberi solitam fuisse. Sed neque aliam, neque firmiorem opinionis suae rationem affert, ideoque vt in assensu huic opinioni praebendo faciles simus a nobis impetrare haud possumus, cum in re historica versemur, cui sine teste et testimonio fides haud facile habenda est.

§. VIII. Quo pauciores vero atque infirmiores adfunt stabiendae huius opinionis rationes, eo plures vt in contrariam abeamus partem, suadent. Quanquam ego quidem

dem de pietate Caroli M. non infucata cum STRUVIO, cui pius non audit Carolus 1), dubitare haud adeo velim; quamquam NIFANII litem cum SCHATENIO serio agitaram, propiusne Carolus a Lutheranorum, an a pontificiorum abfuerit sacris, dirimere nolim 2), quanquam denique nec inde, quod Carolus a quibusdam pontificiis in sanctorum numerum relatus sit, pro eius sanctitate pugnare 3), neque vero inde, quod is honos, in se vere nullus, a plerisque pontificiorum Carolo denegatus sit, eius sanctitatem impugnare audeam, ut itaque confessionis auricularis usum necessitate quadam cogente et absoluta a persona Caroli omnino alienum fuisse haud existimem; mirari tamen subit, in tanta tamque communi apud omnes rerum eius scriptores Caroli laude, confessionis auricularis a Carolo adhibitae adeo nihil superesse. Et hoc illud est, quo inducor ad credendum, neque hanc, neque aliam confessionis formulam Carolo in usu fuisse, quod nemo scriptorum, qui exercitia pietatis Carolinae magno studio literis consignarunt, Carolum vel semel confessum esse ad aurem sacerdotis, tradidit. Res multo minoris momenti, quae tum quidem ad pietatis studia referebantur, et a pontificiis etiamnunc referri solent, in laudem imperatoris nostri vere magni memoriae prodiderunt; sed de eiusdem confessione auriculari altum apud eos est silentium; quam vero rem ad memoriam maxime

1) in *Corpore historiae german. periodo IV*, p. 125. et in *der erläuterten teutschen Reichshistorie* p. 125.

2) CHR. NIFANII ostenso, quod Carolus M. formaliter non fuerit Papista. Frf. 1670. NICOLAI SCHATENII Carolus M. Imperator Romanorum, et Francorum rex Romano-Catholicus. Neuhusii 1674. 4.

3) Vide Illustriss. Com. de BYNAV *Leben Friedrichs I, Römischen Kayfers* p. 182.

xime insignem, si quid de ea illis confitisset, silentio ab iis praeteriri potuisse, nemo sibi facile persuadebit. Historiam pietatis eius in compendio quasi exhibet EGINHARTVS 4), de eiusdem confessione nihil. Obseruatu dignum est, scriptores referre, Carolum tam sacra coena usum 5), quam etiam disertis verbis testari, sacrum baptismum liberis eiusdem ipso iubente et praesente impertitum esse. Sed cum hic, ubi tanquam suo eoque opportunissimo loco legi deberet, nihil de confessione Caroli legatur, maxime dubium videtur, quod de confessione eius perhibetur a laudatissimo KOLLARIO. Vt constet, multa et varia de pietate et religione Caroli apud scriptores deprehendi, haec modo adferam. Annales Francorum semper obseruant, ubi locorum et natalem Domini et sanctum Pascha celebrauerit 6). Testantur praeterea scriptores, eum sanctorum apostolorum limina adorasse, vota quater soluisse, et supplicandi religionem praestituisse 7) coram altari ad orationem sese inclinasse 8), templa extruxisse quam plurima 9), et donis amplissimis ornasse, Hierosolymas ad sepulcrum Christi donaria misisse 10) et denique aureas argenteasque mensas ex voluntate vltimis tabulis consignata templis legasse 11), deque sanguine Christi in vrbe Moguntia reperto pontificem romanum consuluisse 12). Sed hi omnes de confessione Caroli adeo nihil scribunt, vt proxime absim ab opinione, Carolum confessionem auricularem edidisse nunquam.

C

§. IX.

4) EGINHARTVS l. c. apud REVERVM P. IO. II. *Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime et cum summa veneratione coluit - - ecclesiam mane et vesperi, nocturnis item horis et sacrificii tempore, quando eum valetudo permiserat, impigre frequentabat. - - Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendauit, erat enim utriusque admodum eruditus, quanquam ipse nec publice legeret, nec nisi submisso et in commune cantaret. &c.*

§. IX. Nemo in Carolo laudibus siue veris, siue fictis ornando copiosior est IOANNE TVRPINO in *historia de gestis Caroli M.* Hic non satis habuit Carolum a rerum gestarum gloria ad omnem posteritatis memoriam insignem reddere, sed mire quoque fabulatur, quasi in tanta rerum praeclare gestarum multitudine materia laudis tam insignis imperatoris defuisset. Sed piget vel vnā earum referre. Nobis satis est ex eo obseruasse, quanquam totus est in laudandis virtutibus Caroli sui, illum tamen ab eo ob confessionem auricularem vnquam editam nullibi laudari. Rolandum ad aurem sacerdotis confessum esse, his verbis significat: *Accepit ipse Rolandus die eodem eucharistiam et delictorum suorum confessionem a quibusdam sacerdotibus, antequam ad bellum properaret. Erat enim mos, ut omnes pugnatores eucharistia et confessione per manus sacerdotum, episcoporum, et monachorum, qui ibi aderant, munirentur, antequam pugnam aut bellum inirent* 1) Quanquam et haec, tanquam a scriptore sublesta fidei profecta in medio relinquo, nullus tamen dubito, quin, idem si de Carolo praedicare potuisset, lubens praedicaturus fuisset. Sed de eo si-let. Quid? quod ipse EGINHARTVS Imperatorem eodem eo die, quo mortuus est, *sacram communionem percepisse*, auctor est 2) confessum vero antea fuisse, haud memorat

§. X.

5) EGINHARTVS l. c. p. 12. 6) Apud REYBERVM p. 20 sequ. 7) l. c. p. 11. 8) Annales Francorum l. c. p. 32. 9) TVRPINI *historia de vita Caroli M. et Rolandi* apud REYBERVM p. 69. 11) Annal. Franc. p. 32. DONATI ACCIAIO- LI *Vita Caroli M.* apud MENKENIUM *scriptorum rerum germanicarum* Tom. I, p. 832. 12) Annales Francorum l. c. p. 34.

1) Cap. XXIII. apud REYBERVM l. c. p. 83. 2) l. c. apud REYBERVM p. 12.

§. X. Ipsam confessionis formulam si attentius considero, magis magisque in hac sententia, eam a Carolo adhiberi solitam haud fuisse, me confirmari sentio. Si enim prolixam, quae in illa instituitur, perpendo orationem, vereor, ne Carolo paulo longior visa fuerit, quam quae a principe vel edisci, vel recitari debeat. Et vere haud pauca continet, quae tanti persona principis non satis digna videntur. Vix a me impetrare possum, ut credam, pium imperatorem, adulterii, furti, et aliorum id genus criminum, reum fuisse, vel si fuit, talia confessum esse. Rudi potius diuinarum literarum homini scripta videtur, qui mentem ipse suam explicare, et, quae cogitat, ordine proponere haud valet. Sed imperatorem latine, graece, syriace doctissimum tale quid sibi passum esse scribi, quis sibi persuaserit? Cui, non regi, seruo non principi plerique eius verba conueniunt. Cogita confessionem de Decimis haud solutis, de neglectis domini, cui seruit confessor commodis, reliqua, conueniuntne haec personae Principis? Sed excipit KOLLARIUS, mutauit imperator, quae respectu personae propriae, propriaeque conscientiae mutanda fuerunt. Bene. Largiri igitur videtur, eam formulam ab ipso Carolo conceptam non esse, alias enim, quae persona sua indigna erant, haud additurus fuisset. Si vero ab alio elaborata fuit, uti fuit, non est credibile, doctissimum imperatorem, suoque clero longe doctiorem, alienum laborem, in gratiam tantum indoctorum hominum, et imperitae plebis conceptum, suae mandasse memoriae.

§. XI. Nec sola haec formula confessionis illorum temporum est, cui honor, quod Carolo M. in usu fuerit, asseri potest. Ut illam, quae a MATTHIA ELACIO edita est, in praesenti taceam, eam modo, quae tam apud GOLDA-

STVM 1), quam SCHILTERVM 2) legitur, in medium afferam, ut pateat, hanc aequae, atque illam dignam fuisse, si qua fuit, ore imperatoris.

BIGITH

thero alten Kirichun.

Ih wirtu Gote almachtigen
bigihtig, inti allen Gotes heilagon,
allero minero Sunteno, unrethero
githanco, unrethero uuorto, thes ih
unrehtes gisähti, unrehtes gihorti,
unrehtes gethancti, odo andran
gispuoni fo waz fo ih widar
Gotes Willen gitati, meinero eido,
ubilero fluocho, liogannes, stelannes,
huores, manslahti, unrehtes girates,
odo mir iz thuru min kunthifgi giburiti,
odo thuru ubartruncari, odo thuru
min selbes gispensfi, odo thuru
anderes mannes gispensfi girida,
abunstes, nides, bisprachido
ubilero gelufto: taz ih ci chirichun
ni quam, fo ih mit rehtu scolta:
mina fastun ni behelct, fo ih mit
rehtu scolta; zuuene ni gifuonta,
fun.

CONFESSIO

Veteris Alamannorum Ecclesiae.

Ego Deo Omnipotenti confiteor, et omnibus Dei sanctis, omnia mea peccata, illicitas cogitationes, illicitos sermones, quicquid ego illicitum dixi, illicitum audiui, illicitum cogitavi, aut alio pacto quicquid ego contra Dei voluntatem egi, falsa iuramenta, execrationes et maledicta, mendacia, furta, scortationes, homicidia, prava consilia; aut a me quid per meam puerilitatem parratum, aut per ebrietatem, siue mea ipsius suasionem, siue aliorum hominum suasionem, concupiscentias, inuidias, detractiones, prava cupiditates: quod ego ad ecclesiam non veni, cum iure debeam; ieiunium meum non seruavi, securi iure debebam: duos non conciliaui, offensus non dimisi,

1) In scriptor. rerum Alamannic. Tom. II, p. 135

2) Thesaur. Antiquit. Teutonicar. Tom. I, Parte II, inter monumenta catechetica theotisca p. 87.

funta ni verleiz, themo ih mit
 rhetu scolta: heilaga funnūn-
 taga, inti heilaga missa, inti
 then heilagon uuizzod ni eri-
 ta, so ih mit rehtu scolta; vna
 urloub gap, una urloub int-
 pheing, uncitin ezzenti, uncit-
 tin trinchanti, uncitin slafen-
 ti, uncitin uuachanti: thes alles
 inti anderes manages, thes ih
 uuidar Got almahtigen shul-
 dig si, thes ih Gote almahti-
 gen in mineru Kristanheiti ge-
 hiezi, inti bi minan uuizzin
 forliezi, so ih iz gihuge, so ni
 gihuge, so ih iz githahti, so ih
 iz gisprachi, so ih iz githahti,
 so mir iz slaffenti giburiti, so
 uuahenti, so gangenti, so stan-
 renti, so lizzenti, so liganti, so
 bin ih iz Gote almahtigen bi-
 gihtig, inti allen Gotes heila-
 gon, inti dir Gotes manne, in-
 ti gerro buozzin frammert so
 fram, so mir Got almahtigo
 mahti inti giuuizzi forgibig.
 Almahtig Thrutin, forgib uns
 mahti inti giuuizzi thinam
 uuillon zi giwircanne, inti zi
 gi fremenne, so iz thin willo
 fi. Amen.

*miss, cui iure debebam: sanctum
 diem Dominicum, et sanctam
 missam, et sanctam legem non
 obseruavi, sicuti iure debebam;
 sine venia donavi, sine venia ac-
 cepti, intempestiue comedens, in-
 tempestiue bibens, intempestiue
 dormiens, intempestiue vigilans:
 haec omnia, aliaque plura, quae
 Deo omnipotenti debeo, quae
 Deo omnipotenti in meo bap-
 tismo promisi, et pro mea con-
 scientia deliqui, quae recordor,
 et quae non recordor, quae co-
 gitauit, quae dixi, quae a me
 dormiente patrata, quae vigi-
 lante, quae ambulante, quae
 stante, quae sedente, quae cu-
 bante, Deo omnipotenti con-
 fiteor, et omnibus Dei sanctis,
 et tibi, vir Dei, et cupio e-
 mendare in posterum pro ea,
 quam mihi Deus omnipotens
 potestatem et intelligentiam de-
 derit. Omnipotens Domine,
 da mihi potestatem et intelli-
 gentiam faciendi voluntatem
 tuam, et cognoscendi, quae sit
 voluntas tua. Amen.*

Magna similitudine haec ad illam accedit, siue idioma spectes, siue argumentum. Quem vero eligemus iudicem, qui vel pro hac pronuntiet, vel pro illa? Vtraque ab aetate Caroli originem ducit. Vtra, si qua fuit, imperatoris fuerit, neminem diiudicaturum esse credo; aut igitur vtramque adhibuit confessionis formulam imperator, aut neutram. Cum vero neque pro hac, neque pro illa adsint rationes sententia, tutius est neutram affirmare.


§. XII. Doctissimo KOLLARIO dialectus germanica huius formulae confessionis rationem, Carolo M. eam afferendi, suppeditare videtur, sed eadem haec formulae illius dialectus me de eo dubitare iubet. Neminem fugit, ea potissimum aetate latinae linguae usum in sacris inualuisse, et tam a clericis, quam a laicis, omnia, quae ad sacra spectabant, latinis verbis exposita esse et gesta. Ipse imperator noster emendatum a Gregorio M. canonem missae, omnes, qui eius scepro parebant, prouincias recipere iussit 1). Inde credibile fit, Carolum ei, quam tulit, legi ipsam paruuisse, et usum latinae linguae in sacris adhibuisse. Si igitur confessus est, latinis verbis confessum esse, probabilius est, quam theotiscis. Carolus certe ab huius linguae usu abhorere non debuit, quippe qui *quatuor libris imaginum cultu* latine scriptis, et concilio Nicaeno II. oppositis satis superque testatus est, usum huius linguae sibi admodum familiarem fuisse 2). In his prolixam quoque fidei suae confessionem latinis verbis scriptam reliquit 3). Si denique perpendo,

1) Vide cel. D. ERN. FRID. WERNSDORFII Historiam latinae linguae in sacris publicis Lips. 1756.

2) Editi sunt a IOANNE TILIO, *Meldensis ecclesiae episcopo*, et nostra aetate a S. V. CHRIST. AVG. HEYMANNO Hanou. 1731.

3) Lib. III. cap. I. p. 259 -- 264.

do, ex decretis pontificum iustam non haberi, tumque in-
 primis habitam non esse confessionem, quae non legitimo
 prouocata sit examine 4), et officium exegerit, vt studiose
 exquirere omnia, quae circa commissum peccatum peracta
 fuerint, cuius rei exemplum EDMUNDVS MARTENE 5) ex-
 hibet, vereor, ne molestum fuerit imperatori, morae impa-
 tienti, tam prolixo tamque rigoroso, quod vulgo dicunt,
 examini aures praebere beneuolas.



Haec redeunte scholae illustris natali CXXII. scribere
 in animum induxi. Huius solemnii ritu celebrandi causa sex
 iuuenes, qui probitate, studio, atque honestate publicam
 laudem quaerunt, et regio se dignos praebent beneficio,
 publice dicent:

- I. IOANNES GOTTHOLD SCHINDLERVS, *Coldicensis*,
 de officiis reipublicae erga scholas.
- II. CHRISTIANVS GOTTLOB RICHTERVS, *Lichten-
 steinensis Schoemburgicus*, de prouidentia diuina in consti-
 tuendis scholis Christianis.
- III. GABRIEL TEICHLERVS, *Kirchbaynenfis Misnicus*, de
 officiis scholarum temporibus calamitosi.
- IV. GOTTHOLD OETTINGIVS, *Mitweyda Misnicus*, de
 prouidentia diuina in conseruandis scholis.

V. EH-

4) Vide NICOLAI PAPAE epistolam ad Salomonem Britanno-
 rum regem apud EDMUNDVM MARTENE in veter. scriptorum et
 monumentorum Collectione noua Tomi I. parte II. p. 42.

5) l. c. p. 271. 272.

QK T n 650.

XXIV

V. EHREGOTT LEBERECHT BONITIVS, *Lichtenstei-
nensis Schoemburgicus*, de praestantia institutionis publi-
cae in scholis.


VI. SALOMO TRAVGOTT SIBOLDVS, *Elystrowerda
Mitsnicus*, de Mauritio, trium scholarum prouincialium
conditore, Principe tam pace, quam bello maximo, qui
et Augustissimo Regi, optimo patriae Patri, submississimas
gratias ob scholam clementissime conseruatam, publice per-
soluet.

Hos, vt castina luce beneuole audiant, nostrisque vo-
tis pro salute et vita Serenissimi Regis FRIDERICI AVGV-
STI, Patris patriae longe clementissimi, et felicitate serenif-
simae Domus Saxonicae conceptis sua iungant viri et litera-
rum laude et munerum grauitate conspicui, quam huma-
nissime rogo. P. P. in schola prouinciali Grimmeni
die XIII. Septembr. A. R. S. H. MDCCLXII.



X250 2164





DE
AVRICVLARI CONFESSIOE
CAROLI M.

DISQVISITIO HISTORICO - CRITICA
FRIDERICI IMMANVELIS SCHVVARZII



TORGAVIAE
LITERIS RÜDELIANIS

